

**O R A T I O**  
HABITA IN BASILICA  
**PRINCIPIS APOSTOLORUM**

393

DE URBE

Die 22. Februarii 1733.

A JOSEPHO SIMONIO ASSEMANO

*Eiusdem Basilicæ Presbytero Beneficiato, Bibliothecæ  
Vaticanae Secundo Custode, & ssimi Dñi Nostri  
ab honore Cubiculi,*

DUM A CAPITULO, ET CANONICIS

**BENEDICTO XIII.**

**PONTIFICI MAXIMO**

**SOLENNES EXEQUIÆ CELEBRAENTUR,**

*ANTE QUAM EJUS CORPUS*

*INDE AD ECCLESIAM*

**Sanctæ Mariæ supra Minervam efferretur.**



**ROMÆ MDCCXXXIII.**

---

Ex TYPOGRAPHIA HIERONYMI MAINARDI  
**SUPERIORUM PERMISSU.**



О Т А Я О

PRINCIPIA PHYSICO-MATHEMATICA  
ET NATURALIA

DE CAVENDISHI

DE MURKINIANI

ALISTERSONIS

( III. )  
Reverendissimo Patri  
**FR. THOMÆ RIPOLL**  
TOTIUS ORDINIS FF. PRÆDICATORUM  
GENERALI MAGISTRO

394

JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS

Vaticanae, tūm Basilicæ Presbyter Beneficiatus, tūm  
Bibliothecæ secundus Custos, & SSini Dñi Nostri  
ab honore Cubiculi.



UM Capitulum,  
& Canonici Sa-  
crofandæ Basili-  
cæ Vaticanae, pro  
acceptis à BENE-  
DICTO XIII.

Pontifice Maximo beneficiis, folen-  
nes illi Exequias decrevissent, Ora-  
tiunculam quoque de ipsius laudi-

a 2

bus,

bus me habere jusserunt. Hanc igitur , licet rudem & incultam , nec meritis tanti Pontificis parem , Tibi offero ac dedico , Reverendissime Pater : ut qui amantissimum inclyti Prædicatorum Ordinis , cui dignissimè præes, Alumnum , & eximum decus, ornatu tam splendido ex eadem Basilica efferi curasti , Tumuloque magnificentissimo in communis Parentis Sacello illum mandari studes ; hoc rerum erga Nos gestarum compendio , quod opere tumultuario in præscripti temporis angustia congesisti , grati animi monumentum Pontifici de nobis , nostraque Basilica & Capitulo bene merito positum habeas .

ORA



# ORATIO



N hac Antiochenæ Cathedræ  
Principis Apostolorum solen-  
nitate , cuius annuam memo-  
riam recolentes , ornatu splen-  
didissimo hanc Augustissimam  
Basilicam quotannis fulgere  
circumspeximus , cùm hodierna die funebri  
luctuosoque apparatu atratam intuemur ; non  
dolore quidem ac tristitia commoveri debe-  
mus , sed intimis lætitiae sensibus exultare .  
Haud enim quæ oculis objiciuntur , censenda  
sunt tristia funestæ mortis spectacula , sed  
potius insignia de superata morte spolia , ad

triumphum, cuius auspicia celebramus, BE-NEDICTO Tertiodecimo Pontifici Sanctissimo comparata. Par sane æquumque erat, ut qui, cùm primùm Pontifex Maximus concordibus suffragiis renunciatus, sublimis invehheretur, magnificentissimi Templi hujus Limina haud ingredi voluit, quin in genua pro voluntus, sacros Beatissimi Petri cineres supplex veneraretur; idem Apostolici Senatus Princeps BE-NEDICTO non solum eximiarum virtutum, sed etiam dignitatis & auctoritatis suæ successori, hanc nomini suo dicatam diem cederet: in qua Corporis ipsius exuviae ea triumphali per Urbem ducerentur pompa, quam sibi debitam semper detrectaverat atque contemserat.

Mirabamur omnes, & non sine ingenti animorum nostrorum gaudio sæpe recordamur, quo contemptu ac despectu, quidquid mundanum quidem redoleret, penitus averfatus fuerit; quidquid vero divinum cultum atque honorem spectaret, omni ope suscepsum diligentissimè perfecerit. Attamen ut in præsentia præteream incredibilem animi demisio-

( VII. )

396

fionem in tanta dignitate ; singularem pauper-  
tatem in summa affluentia ; intentum in divi-  
nis laudibus , & non intermissum orandi stu-  
dium , in rerum , præsertim ecclesiasticarum ,  
multitudine ; admirabilem abstinentiam , &  
affidua jejunia in ætate jam dilabente , quam-  
vis nullis unquam laboribus & curis defessa .  
Ut taceam invictum pectoris robur in affe-  
rendis Apostolicæ Sedis juribus ; eximum ze-  
lum in visitandis non sine gravi incommodo  
ecclesiis , etiam ruralibus , iisque , nulla dispen-  
siorum habita ratione , ornandis ; alacritatem  
in divini verbi prædicationis ministerio ; non  
vulgarem Sacrorum Canonum , Rituum , &  
ecclesiasticæ historiæ peritiam . Ut demum  
fileam humanitatis , liberalitatis , ac pietatis  
officia erga egenos , & ægrotos , in nosoco-  
miis , aut privatis ædibus languentes , exhibita ,  
cæterasque immortalitate dignas virtutes : quæ  
profecto singulæ singulis Viris , potissimum  
Principibus , reverentiam atque amorem ho-  
minum conciliant : inter effusas omnium Or-  
dinum gratulationes ac laudum præconia , in  
hac memoranda BENEDICTI Translatione ,  
li-

( VIII. )

liceat mihi , et si pro beneficiis in Vaticanam  
Basilicam , & Capitulum nostrum larga manu  
collatis haud satis idoneo , ac nullo ingenio ,  
nullaque dicendi arte prædito , grati animi si-  
gnificationes , ejusdem Capituli nomine , ex  
tempore testatas facere .

Norunt omnes , qua voluptate Vatica-  
num potius domicilium sibi delegerit BENE-  
DICTUS , ut veluti per vim æstivo tempore  
ad salubiores Palatii Quirinalis ædes ducere-  
tur : è quibus vix duobus aut tribus elapsis  
mensibus , neque per totum Pontificatus sui  
spatium , continuo hasce sibi jucundissimas  
repetebat : haud alio certe consilio , quam ut  
Templo huic proximus , Sacrum Apostolorum  
Principis pignus sæpiissimè invisens coleret ,  
ac Summi Pastoris munera commodius expla-  
ret . Hic autem quas religionis , aut Sacerdo-  
talis ministerii partes illum sanctius ac studio-  
sius exercuisse non vidimus ? Præter eas sane ,  
quæ per Summos Pontifices Prædecessores  
suos statis temporibus peragebantur functio-  
nes , novasque à se indictas , infinitas prope-  
modum alias in Vaticana Basilica obeundi op-  
portunitatem nanciscebatur .

In-

( IX. )

Interdum, postquam gravia Administrorum sapienter explicasset negotia, nobiscum in Choro intererat, dum canerentur divinæ laudes, aut sacra Liturgia, aut Concio Evangelica haberetur. Neque illi quidquam jucundius & antiquius, quam pueros recens natos salutaribus Baptismi aquis tingere, adultos fidei mysteriis imbuere, Aras pro Templi hujus dignitate Deo dedicare. In conferendis verò Ecclesiæ Ordinibus, ob ingentem multitudinem, dolentes sæpe illum spectavimus penè deficientem, atque inter manus Ministrorum concidentem.

397

Cùm ad Templi atrium hiberna tempestate Catechumenos sacerdis verbis expiaret, ut regenerationis lavacro abluerentur, exortatus, ut sibi à frigore consuleret: nunquam, inquit, Ecclesiarum incommoda mihi nocuerunt. Per solennem autem Corporis Christi festum diem, licet vestigia vix firmare posset, minime acquievit, ut humeris inventus, Eucharistiæ Sacramentum deferret. In ea vero supplicatione, quæ octava ejusdem celebritatis die à nobis fieri consuevit, pedibus nobis.

biscum , dextera facem , sinistra baculum gestans , quo debilia membra sustentaret , semper incedebat .

Quid de Episcoporum inaugurationibus per se in hac Basilica habitis ? Quid de Beatis in Sanctorum numerum adscriptis ? Quid tandem non præsttit , ut paternum amorem ac benevolentiam , qua Nos , nostramque Basili- cam prosequebatur , manifestius ostenderet ? Verùm luculentius illud caritatis suæ argumentum non est silentio prætermittendum , quod cùm Capituli redditus ob iteratas rei agrariæ calamitates jam jam pessum irent , erogatis summa liberalitate multis aureorum millibus , uno die cumulatissimè reparavit . Tantæ beneficentiæ hoc etiam accessit , quod à fundamentis novas & amplias pro Alumnis Vaticani Seminarii ædes erexerit atque instruxerit . Ut ad perennem erga Pontificem munificissimum , de hac Basilica , & Capitulo optime meritum , gratiarum actionem posita monumenta testantur .

Sed hæc inania sunt , ac vana : neque in nostris , & posterorum animis eum amplius ex-

excitabunt pietatis ac religionis ardorem, quo, cùm ad Chorum accederemus, Tumulum, in quo Corpus tuum venerandum, Pontifex Beatusse, jacebat, suspicientes, vehementissimè incendebamur. Nunc, proh dolor! tanto pignore orbati, hoc quoque solatio destituimur. Nunquam sane jaēturam hanc solari potuissimus, nisi ut votis tuis, Deo ad tuæ famæ claritatem ita disponente, obsecundaremus. Iis enim secundùm obitum sociari optaveras, quorum præclarum Institutum, probatissimamque doctrinam, amplissimo Principatu abdicato, olim amplexus, communem cum illis vivendi normam, & ipsum inclytæ Prædicatorum Familiæ nomen, etiam in Pontificiæ dignitatis fastigio semper retinuisti.

Perge igitur, optime Pontifex: decretum Tibi modo, meritisque tuis eximiis debitum triumphum age: ac nostri memor, de cæli sedibus, ad quas Te vocatum fuisse confidimus, Nos, nostramque Basilicam tuo patrocinio fove, protege, ac tuere. Futurum siquidem speramus, ut ubi tot præbuisti Sanctissimo Pontifice digna virtutum exempla,

ibi

( XII. )

ibi sublimioris, quam nunc, ordinis honores  
tuo nomini decernantur.

**F I N I S.**

